Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

redimeret. Temptatus est ut nos dimitteret a cultura demonum qua tenebamur. Illusus est ut nos ab illusionibus liberaret. Spineam coronam in capite accepit ut nos a maledictione spinarum et tribulorum eriperet et flores paradysi quos non fecit perdere humana presumptio redonaret. Exspoliatus est ut nuditatem prime prevaricationis non ficorum foliis nec pelliceis tunicis sed indumentis candidis indulgentie tegeret et super nivem niveos dealbatos ac mundos a peccatorum sordibus omnes credentes in se patri suo adoptaret. Et quoniam ligno concupiscentie detinebamur addicti lignum crucis Christus accepit ut de peccato dampnaret peccatum in carne id est de ligno crucis lignum concupiscentie. Accepit escam fellis et aceti poculum ut hominem ad terram fluentem lac et mel introduceret et fontes nobis mellifluos aperiret. Accepit in se maledictionem nostram ut super nos suam benedictionem effunderet et nostram a nobis maledictionem auferret. Suscepit in se mortalitatem nostram ut suam nobis vitam simul cum eternitate restitueret. Sepultus est ut sanctorum sepulturam benediceret. Surrexit ut mortuis vitam redderet. Ascendit in celum ut non solum nobis paradysum redderet quem humano generi prima presumptio hominis clauserat sed ipsa celorum regna omnibus credentibus patefaceret. Sed ne verbis currentibus humana tantum ratione patrocinari videretur absque aliquibus pignoribus ut herbis ac medicaminibus ceco nato de luto salive sue reddidit visum ut se esse ostenderet qui primum hominem de limo terre plasmaverat. Nato ceco visum reddidit ut miserando donaret quod visus fuerat non dedisse creando. Ideo etiam et leprosos mundavit verbo omnibusque egrotantibus salutem prebuit. Demonia ex obsessis corporibus expulit. Pedibus deambulavit maria. Imperavit ventis. Tempestates conpescuit. Et vitam iam mortuis et sepultis oris sui imperio redonavit. Hec dicente papa Silvestro universi populi cum rege simul et iudicibus ingentibus laudibus clamabant agentes deo gratias quod tanta ratione posse auribus eorum dedisset ut nulla dubitatio eorum mentibus de Christi omnipotentia remaneret. Tunc indignatus his ambri unus de duodecim voce clara dixit: Miror vos prudentissimos iudices verborum ambagibus credere et dei omnipotentiam estimare humana ratione concludi. Unde mihi quoque non diu locutus sum hunc aditum aperite ut cessantibus verbis aliquam virtutem et efficatiam indi nostri nomine demonstremus quo possit ratio humana divinis virtutibus